



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690


§. II. An ab Episcopis aliisque Prælatiſ Eccleſiaſticiſ, Papâ inferioribuſ,
decimæ in feudum concedi poſſint laiciſ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. II.

*An ab Episcopis aliisque Prelatis
Ecclesiasticis, Papâ inferioribus
decima in feudum concedi pos-
sint laicis?*

rituale est, sive fundatum in titulo spi-
ritualis officij, secularibus laicis non
competat, nec concedi possit, prout
expressè statutum est in Concilio Latera-
nensi can. i. cau. 16. g. 7. Et habetur
etiam in c. ad hoc. 15. h. 1. (ubi pœna ex-
communicationis statuitur in laicos, juris
decimandi, quatenus spirituale quid est,
detentores) ita, ut nec Pontifex tale jus
spirituale fundatum in titulo spirituali,
offerendi Sacrificium v. g. administran-
di Sacramenta &c. quæ dependent à
potestate sacri ordinis, concedere laicis
secularibus possit: quatenus tamen à
titulo spirituali jus illud decimandi ab-
stractum, & separatum est, ac merè
temporale quid est, jus scilicet decimam
partem fructuum accipiendi, sine ulla
obligatione spiritualis cuiusdam ministe-
rij, vel si solam commoditatem fru-
ctuum decimabilem, ad unum, vel
plures annos, aut ad tempus vitæ suæ
parochus v. g. laico concedat, aut elo-
cet, vel si conferatur fructuum decima-
bilem portio v. g. laico per modum
temporalis stipendij pro obsequio, aut
officio à laicis præstare solito, vel si fiat
in Principem v. g. laicum, per modum
liberalis donationis, aut in alium quem-
cunque, per modum feudi à Pontifice
talius decimarum translatio, propter
magna merita in Ecclesiam collata, in
subsidiū necessarium pro defensione
Ecclesiæ, ad necessariam, & honorifi-
cam Ecclesiæ recognitionem &c. potest
etiam laicis jus decimandi competere.



DE jure antiquo potuisse Episcopos,
aliósque Prælatos inferiores, Ec-
clesiarum suarum decimas, in feudum
concedere laicis, ob justam causam, ex
decreto Urbani II. in Concilio Tur.
1096. celebrato patet, post hoc tamen
Concilium, aut saltem post Concilium
Lateranense 1179. celebratum omnibus Sum-
mo Pontifice inferioribus, hæc infeu-
dandi circa decimas Ecclesiæ, potestas
adempta est, ita ut factæ etiam post hoc
Concilium ab inferioribus Papâ infeu-
dationes, non tantum illicitæ, sed etiam
nullæ sint, prout etiam patet ex c. Quam-
vis 17. h. 1. Et ex c. prohibemus 19. eo-
dem, ut plurimi scilicet abusus, qui per
tales infeudationes, in præjudicium Ec-
clesiarum irreperant, impedirentur.

§. III.

*An & qua ratione laici decimas,
quas obtinent, in alios transferre
possint?*

LAICUS, si injustè detineat decimas
Ecclesiæ, non potest illas in feudum
concedere, aut alio quovis titulo in alios
laicos transferre, uti patet ex c. prohib. 19.
h. 1. (neque enim, qui injustè detinet,
ullum jus habet ad tales decimas, & con-
sequenter nullum etiam in alios per se
transferre potest) si verò justè possideat
Bbb b 3 illas,